

(2) Mæror lætitiæ spiritus superare vel propellere haud debet: 2. Cor. IV, 8. VI, 9.

(3) Felicitas externæ hostium non dimoveat nos à pietatis studio, ut ut pravi promoveantur insigniter, insultentque acerbè ac quotidie: Psal. XLIX, 17. Sir. XI, 21.

USUS E VERSU IV.

(1) Intuitus gratiosus ac benigna exauditio, bona sunt piorum desideratissima. Horsum tendunt cuncta ipsorum suspiria.

(2) Visionis tam corporalis quàm spiritualis acumen beneficium Dei inestimabile. Compone hoc cum omnimoda cæcitate, vel gravi debilitate defectibusque aliis oculorum. vid. Ephes. I, 17. 18.

(3) Somnus & Mors sunt fratres. Somnus spiritualis antecedit mortem animæ æternam. Contra illum ergò pugnandum masculè atq; orandum.

USUS E VERSU V.

(1) Hostium sarcasmi acerrimè pungunt piorum animas. Psal. XLII, 4. seqq.

(2) Ut mundani prævaleant quoad corporum supplantationem externam ac visibilem, haut quaquam ta-

men prævalebunt quoad animæ in Deo tranquillitatem: Matth. X, 28. seqq.

(3) Stultum est gloriari de virium superioritate.

(4) Nutatio cavenda sedulo, ne fluctuemus per diffidentiam, impatientiam, seculi amorem &c.

(5) ἐπιχαίρειναι vitium est verè diabolicum, homo enim homini de jure compatitur, cæcè brutum bruto.

USUS E VERSU VI.

(1) Eluctantur pii per Spiritus Sancti gratiam in mediis tentationibus, adeò ut stricturas mox orituri solis è longinquo præsentiscant.

(2) Confidendum non in viribus propriis, sed in sola Dei benignitate per Christum fundatâ: is enim est Jeschua, salus, de qua mox sequitur.

(3) Gaudium in vanis vanum: in Dei salute, inconcussum.

(4) Gratitude per cantica, Deo insigniter grata. vid. II. præcept.

(5) Beneficentia Dei, post superatas castigationes atque probationes rigidas, insigniter reficit piorum convalescentium pectora.

PSALMI XIV. DISPOSITIO.

Homo animalis. Speculum atheismi. Deum negat insipiens.

F St hîc I. descriptio humanæ corruptionis. B ita ut David eam (1) proferat, velut ex propria observatione; ponendo (a) hominis animalis seu irrogeniti stoliditatem, *vers. 1. nafal*: (b) internam pravam collectionem: *dicit in corde suo*, (c) Dei abnegationem: *vers. 1.* (d) operum seu actionum corruptissimam pravitatem: (e) virtutum omnimodam carentiam: *ibid.* (2) Plenius confirmet ex Dei ipsius discussione: ubi (a) Deus, (b) prospiciens de cælo, (c) super universos Adami filios, (d) ad reperiendum sapientem Deumque rectè colentem: *vers. 2.* (e) confe-

quens deprehensio universalis defectionis. *vers. 3.*

II. Correptio horummet corruptorum, interrogativè prolata, *ammon &c.* (1) ob inscitiam planè crassam, (2) ob pravitatem inveteratam ac habitualem: (3) ob populi Dei consumptionem; (4) Dei veri posthabitionem, quem planè non invocant, sed dæmones; *vers. 4.* (5) inordinatum pavorem, *vers. 5.* (6) ob defensoris cælestis vilipendium, *ibid.* (7) ob piorum delusionem: *vers. 6.*

III. Votum (1) pro Israël' (2) salute (3) ex Zion; (4) pro reductione captivorum, (5) exultatione reducum perenni: *vers. 7.*

PSALMUS XIV.

R Salomo & Lekach tof ajunt, hunc Psalmum, bis repeti, semel de Nebucadnezare, dein de Tito, qui ambo templum devastarunt, prorsus sine fundamentò.

EXPLICATIO VERSUS I.

לִמְנַח לְרוּחַ: vide Psal. IV, 1. & XI, 1.

דִּיכַר: (in corde suo) h. e. tacitè secum statuit, ac intra sese meditatur; licet aliud quandoque vel verbis vel gestibus fimulet exterius. Verbum דִּיכַר usurpatur tam de λόγῳ προφορικῶ, & tunc est labiis aliquid efferre exterius; quam de λόγῳ ἐνδιδέτω, & tunc est meditari, deliberare, statuere, ut Deut. VII, 17. si dixeris in corde tuo plures sunt illæ gentes &c. Matth. XXIV, 18. dixit servus nequam in c. f. Gen. XXVI, 9. dixi, ne forte moriar. Psal. CXXXIX, 11. si dixerò, tenebra &c. Præteritum ob actum continuum & consuetum, qui hîc describitur, exponendum est in præsentî: *dicit, corrumpunt &c.* Luther. sprechen.

בְּבַל: *fatuus vel insipiens*: qui scilicet lumine mentis verâq; sapientiâ circa animæ curam destituitur, qui neq; se, neq; Deum rectè agnoscit, licet in mundanis sapientiâ satis sit intructus: non enim moriones, phrenetici, aut mente carentes hic intelliguntur, sed qui insipien-

ter agunt in divinis, qui factis nefariis stolidè se gerunt, stolidèque seipos in æterna ac temporalia exitia factis suis præcipitant. Sic Israël ingratus ac impius dicitur בְּבַל Deut. XXXII, 6. item avarus Nabal, 1. Sam. XXV, 28. Jer. XVII, 11. sic 2. Sam. III, 33. 34. is, qui mortem est meritis, dicitur בְּבַל Psal. LXXIV, 18. 22. hostes Deum blasphemantes: 2. Sam. XIII, 13. Ammon incestuosus. Hinc בְּבַל turpitude, v. g. stuprum, Gen. XXXIV, 7. furtum, Jos. VII, 15. &c. Vi originis בְּבַל flaccescere, emori, propriè innuitur defectus boni succi, (in foliis arborum aut plantis,) vigoris debiti vitæque ipsius: adeoque Nabal, stolidus, est destitutus vitâ ex Deo, deformatus turpiter, nullius coram Deo pretii &c. Ita בְּבַל est cadaver, Num. XI, 40. ita flos בְּבַל flaccescit, emoritur, Jesa. XL, 8. ita בְּבַל est diluvium, quò interierunt universa viventia. Ab hõcce Nabal omnium optimè deduci latinum *Nebulo*, notavit hõc locò Hakspan: Nomen hoc singulare secundum R. Salom & Lekach tof est der Echalck Nebucadnezar, vel Nabal, secundum alios: veriùs tamen totam humanam speciem complectitur; adeoque collectivum est, ceu patet ex sequente verbò plurali, *corrumpunt*: hinc & Lutherus in plurali: die Thoren.